21.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

JURE DETRACTIONIS

QUAM
FAVENTE DIVINO NUMINE
EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI IN ILLUSTRI JULIA ICTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO

DANIELIS CLASEN

PHILOS. ET J.U.D. PANDECTARUM PROFESSORIS PUBLICI ET ORDINARII NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ HODIE DECANI SPECTABILIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBIICIT

DIETERICUS Theſinah OLDENB.

AD DIEM XXII. FEBRUARII
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

HELMSTADII,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typogr.
CIↃ IↃ C LXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRO

NOBILISSIMO AC MAXIME STRENVO DOMINO

DN. HENRICO KERKERO

Sereniſſimi Principis Anhaltini in Ruſtringia præfecto digniſſimo Futuro Dn. Socero omni filiali obſervantia Colendo

Hancce diſſertationem Inauguralem

devotiſſime offert

DIETERICVS Theſingh.

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIONIS

De

IVRE DETRACTIONIS

Theſis I.

CErtum eſt, quòd nulla ſocietas, & ita nec civilis citra opum ſubſidia diu ſubſiſtere poſſit. Etenim ne dicam de bellis, quibus interdum ipſa vel invita implicatur, ſcil. ut vel ablata repoſcat, aut illatam injuriam ulciſcatur, vel ſuos ſocios contra hoſtilem incurſum tueatur ac defendat; ſaltem illud omnium judiciis expono, quantum indies requiratur ad conſervandam ſocietatem, etiam extra ſtatum belli, ita ut vix vel unus ſaltem dies prætereat, quâ non diverſi ſumtus veniant erogandi. Eapropter quoque veriſſimè dicere licebit: Societatem civilem & belli & pacis temporibus indigere facultatibus.

II.

Inde concludere poſſum: Absque quo Societas civilis nec belli nec pacis tempore ſubſiſtere poteſt, illud ad conſervationem ejus eſt neceſſarium: Sed absque opibus & pecuniis Societas civilis, &c. E. Major patet ex terminis. Minor probatur. I. Quòd non poſſit ſo-

etas belli tempore pecuniis carere intellexit *Thucydi-
es lib. 2. Hiſtor. fol. 108.* dum ait: *Pleraque res belli conſi-
conſilio & vi pecuniarum.* Et *lib. 1. fol. 94. & ſeqq.* Bel-
um eſt non in armis maximè, ſed in expenſis & ſum-
bus, per quos efficacia arma & utilia fiunt. 2. Pacis
empore neceſſarios quoque deſiderari ſumtus bene ex-
reſſit Demoſthenes Olynth. 2. Neque in bello neque
n Otio civitas carere poterit pecuniâ. Non minus e-
im ſuſtentanda eſt civitas pacis tempore, quàm de-
endenda eſt in bello, quorum neutrum ſine ſumtibus
eri & expediri poteſt. Cicero *in orat. pro Lucio Manil.* ait:
ecuniam eſſe ornamentum pacis, ac belli præſidium.
Hinc Tacitus ait: Pecuniam eſſe nervum rerum geren-
arum. Cui aſſenſum præbet ICtus in *l. 1. §. 20. de
an.* qui pecuniam tributorum nervum Republicæ
ppellat.

III.

Ea de cauſa in Hiſtoriis antiquis pariter & recen-
ioribus legimus: Legislatores ſemper ſollicitos fuiſſe
e publicis ærariis, in quæ pecunia publico nomine
ongereretur, ejusq; uſus tàm publicis expeditionibus,
uàm pacis negotiis inſerviret, bene conſiderantes,
eutrum tempus poſſe iſtis mediis deſtitui. Qua de re
ervosè diſſerit Nicolaus Oresmus *lib. 3. c. 15. n. 4. Politic.*
Pecuniam deſiderat Reſpublica, ſive quieta ſit, ſive
elli fluctibus immerſa periclitetur. Priore ſtatu nemi-
em habebit, cujus miniſterio utatur ſine pecunia.
Poſteriore ſtatu citra pecuniam nec miles proprius, nec
uxilium denfenſionis ſperabitur.

IV.

Inde varii excogitati ſunt modi, quibus ærarium
potu-

potuerit augeri,ſic tamen, ut apud diverſos populos diverſa fuerit ratio parandi opes ad locupletandum illud: Quædam namque querelas, quædam verò planè indignationem apud ſubditos concitavit, cumprimis ſi inæqualiter facultates â ſubditis extortæ fuerint. Vbi enim eſt inæqualitas, ibi oriuntur querelæ, ob invidiam humano ingenio â natura inſitam, quæ, Tacito teſte, aliena commoda & ſuas injurias pari dolore metitur.

V.

Optima tamen eſt ratio parandi opes, quæ populo non ſit nimis gravis. Quænam verò vel reapſe vel ſecundum opinionem ſaltem ſit minus gravis, prudentis eſt accuratè diſcernere; cum primis quod ex rigida & gravi tributorum impoſitione odium populi ſubſequi ſoleat. Quod ſanè Auguſtus optimus Romanorum Princeps bene intellexit; ideò ut modum tributa imponendi, & commodè exigendi ea inveniret, totum Senatum Romanum in partem conſilii publici vocavit, fortean non tantopere eam ob cauſam, ac ſi ille ſibi ſuæque prudentiæ in tam difficili negotio diffideret; ſed ut odium atque invidiam, quæ tale negotium ſubſequi ſolet, cum Senatu divideret, & ſe eo facilius excuſare poſſet.

VI.

Inſtituit autem, ut hæreditatum ac legatorum pars viceſima inferretur, quaſi illud genus penſionis in Cæſaris Commentariis annotatum reperiiſſet: prout hoc refert Dio Caſſius *lib. 55. fol. 565. & 566.* Quod tamen tributi genus, licèt Senatui quodammodo probatum, cûm cunctis grave ac moleſtum videretur, non longè ante mortem ipſius Auguſti novum fecit negotium.

Qui quoque juſſit Senatum, ut denuo conſilium iniret, quo pacto alii reditus ex cogitari poſſent, qui rebus gerendis ſufficerent. Cum verò nihil aptius reperiretur, ipſe interim intelligeret, cives Romanos quidvis facilius, quàm vigeſimam toleraturos, penſionem in agros & domos tranſtulit. Ubi confeſtim, non indicans tamen quomodo aut quantum cuilibet pendendum foret, quosdam hinc, quosdam alibi miſit, qui privatorum ac civitatum prædia deſcriberent. Quæ res hunc ſortita eſt effectum, ut mallent quique viceſimam ſolvere, quàm novum iſtud onus ſubire. *Vid. Gerard. Coccejum ad. l.2.§.22.p.211, & 212.ff.de O.J.*

VII.

Certò itaque certius eſt, viceſimam hereditatum ac legatorum ex hoc tempore in Republica Romana ſumſiſſe originem. Quamdiu autem illud genus tributi duraverit & â quonam Imperatore fuerit abrogatum, illud plane ignoratur. Quod Andreas Alciatus *lib.3.c.6. Diſpunct.juris ſol.182.* ſcribat â Gratiano illud factum eſſe, hoc quidem ipſe dicit, ſed absque probatione: certè Auſonius, cujus autoritate in eo aſſerendo nititur Alciatus, iſtud non habet; ut ita videatur deceptus opinione Cœlii Rhodigini *lib. 26.c. 14. lect. antiquar. ſol. 1451,* qui illud temerè & absque ullo teſtimonio adſtruit.

VIII.

Longè probabilius autem eſt, cùm autor ſublatæ iſtius viceſimæ ignoretur, neque ulla lex reperiatur, quâ iſtam abrogationem factam eſſe oſtendi queat, ſenſim iſtam in deſuetudinem veniſſe, & ita paulatim in Republica Romana ab uſu receſſiſſe. Quod non obſcurè innuit Juſtinianus *in l. 3. C. de Edicto D. Hadriani tollendo*

dum

dum ait: Viceſima Hæreditatis ex noſtra receſſit Republica. Quam ſententiam quoque ſequuntur Jacob. Menochius *Remed.4 n.9. de adipiſc poſſeſs. fol. 25.* Matth. Berlichius. *part 3. Concluſ.52. n.4. fol. 353.*

IX.

Ex hac abrogatâ viceſima originem traxiſſe in Germania & aliis finitimis locis jus Detractionis non infimæ notæ Doctores putant. Nam cum ICti poſtmodum jura Romana excoluerunt, & illam viceſimam hereditatum ac legatorum abrogatam eſſe invenerunt, facili negotio fieri potuit, ut illi iſtud genus tributi pro locupletando ærario commendaverint: Quod quoque cùm expreſſa lege non ſit ſancitum, hodie autem in uſu eſſe conſtet, dubio procul actuum frequentiâ & ita conſuetudine invaluiſſe tenendum eſt. Qua de re legi poterit Erneſt. Cothman. *in Vol. Singular. Reſponſor. Academic. 19. n.2. fol.105.* Quinimo quibusdam etiam in locis peculiariaria quædam ſtatuta ea de re extare, quæ plerumque conformata & approbata ſint, ſtatuit Andreas Rauchbar. *part.1. Qu.15. n.6 p.107.*

X.

Quod verò ex antiqua viceſima hoc genus tributi probabiliter derivatum ſit, vel inde oſtendi poteſt, quia hodie teſtamentorum cauſa nihil ſolvitur reipublicæ, niſi tunc, quando hereditas ad alterius civitatis vel provinciæ incolas defertur: Eo ſiquidem caſu Magiſtratui loci, ubi hereditas ſita eſt, certum vectigal perſolvi ſolet. *Frider. Pruckman. vol.1. Conſil. 48. n.13. fol. 726.*

XI.

Verùm ſepoſitis iſtis, in genere quæri poterit, an ſit juſtum ejusmodi tributi genus exigere? ratio du-

bitandi

itandi eſt : Quoniam nimis grave onus eâ ratione onis hereditariis imponitur, quod ſanê non poteſt uſtum eſſe. Argumentor ita. Quocunque tributi genere onus excesſivè grave bonis imponitur, illud non oteſt eſſe juſtum. Ratio conſequentiæ eſt, quia juſtitia ſervat proportionem inter bonorum quantitatem, & onus quod ijs imponitur, vel de jure imponi poteſt. Sed per jus detractionis onus excesſivè grave imonitur bonis. E. Minor probatur experientiâ, onſtat ſiquidem alicubi decem: alibi tria: alibi plus el minus perſolvenda eſſe de ejusmodi bonis, quod tique excesſivum eſt onus.

XII.

Sed deciſio eſt petenda ex principijs ſcientiæ civiis, ubi juſtum eſt, ut, quocunque modo ſuccurri posſit onſervationi reipublicæ, pro juſto, vel ſaltem pro non njuſto habendum ſit. Argumentum erit tale. Quodunque tributi genus inſervit fini & conſervationi reiublicæ, illud civiliter juſtum eſt. Ratio conſequeniæ eſt, quia abſque tributis & pecunijs quæ ſunt nervi erum gerendarum, reſpublica conſervari non poteſt. ſed detractio eſt tributi genus quod inſervit fini & conervationi reipublicæ. E. Minoris veritas non poteſt n dubium vocari.

XIII.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd iſtud triuti genus non ſit onus exceſſivum, cùm ſemel tantùm olvatur, & poſtea de bonis iſtis, quæ in aliud Judicium, rovinciam vel regionem tranſportantur, nihil amplius riori Magiſtratui perſolvitur. Proinde iniquum non idetur, ut cum Magiſtratus loci de ejusmodi bonis impoſte-

poſterum nihil amplius conſequatur, tempore tranſportationis tantum de illis detrahat, quantum conſvetudo aut ſtatutum pro ratione boni publici iſto in loco requirit.

XIV.

Neque enim naturaliter hoc videtur injuſtum, nam uti Emphyteuta, ut hoc ſimili ruditer ſaltem utar, pro accepto beneficio in recognitionem dominij certum quippiam perſolvit, ita & à juſto non alienum eſt, ut qui per tot annos imò ad vitæ finem uſque protectione Magiſtratus, alijsque privilegijs uſus eſt, & poſtea illius res alibi tranſportantur, Magiſtratui aut Domino loci remunerationis cauſa aliquid relinquat, utpote quod diminutio bonorum etiam ratione ſui juris exiſtat damnoſa.

XV.

Numquid verò jus detractionis de hereditatibus & legatis apud alias gentes præter Romanam fuerit in uſu, atque ita ex jure Gentium illud deſcendat, non dixerim facilè. Neque etiam apud vetuſtiores Hiſtoricos quicquam ea de re temerè inveneris; Ipſi quoque commentatores, qui de jure detractionis ſcripſerunt, à jure Gentium illud non arceſſunt, quin potius in conſvetudine & Statutis ſeſe fundant.

XVI.

Certè apud Germanos non niſi conſvetudine aut ſtatutis localibus eſt receptum & introductum, ut tàm de bonis civium vel incolarum, qui alibi domicilium transferre volunt; quàm de morientium hereditatibus, quæ exteris relinquuntur heredibus, certa pecuniæ ſumma, ſecundum cujusque loci conſvetudinem, vel

B tertius,

tertius, quartus aut decimus nummus tributi nomine detrahatur. *Iohan. Köppen: Qu. 5. n. 4. fol. 170. Rauchbar. part. 1. Qu. 15. n. 1. p. 106. Schultes ad Modeſtinis Piſtoris par. 2. qu. 54 n. 6. p 203.* Inde videmus, quòd in tota ferè Germania Principes, Comites & Nobiles, pariter ut & civitates, nec non oppida & Præfecturæ jus detractationis habeant, & non tantùm â decedentibus vel emigrantibus; verùm etiam ab exteris heredibus certam bonorum omnium quantitatem exigant, eamque fiſco addicant, *teſte VVehnero in Obſervat. pract. voce* Nachſteur *p. 378.* Idque in quamcunque licet compenſationem detrimenti vel etiam imminutionis, quam ratione bonorum alibi transferendorum Magiſtratus aut Præfecti patiuntur. *Vid. Iacob. Thomingium Deciſ. 26. n. 42. p. 280. & 281. Cothman. in Conſultat. Acad. conſ. 19. num. 4. fol. 105.*

XVII.

Et hoc eſt, quod plerique Doctores ſtatuunt, dum conſtanter docent: Ius detractionis in plerisque locis ſpeciali privilegio, aut lege municipali ſibi arrogant Magiſtratus, ita ut quandoque decimam, interdum quartam, interdum tertiam, den zehenden vierdten oder dritten Pfenning aut plus minusve heredibus peregrinis decerpere ſoleant. *Andr. Rauchbar. par. 1. q. 15. n. 1 p. 106.*

XIIX.

Etenim qui in numerum civium cooptatus eſt, vel per nativitatem jus civitatis conſecutus eſt, is ibidem perpetuò manere non cogitur, nec ab iſtius loci Magiſtratu invitus detineri poteſt; ſed, quantumvis ille diſſentiat, vel in civis cujusdam diſceſſum conſentire nolit, nihilominus licitum eſt ei domicilium ſuum alibi

trans-

etransferre, modò illud non fiat in fraudem civitatis, quam diſcedens relinquit. *argum. eſt. l. 15. §. 2. ff. ad Municip. ubi Dd. Beſoldus cap. 2. n. 11. de jure civium pag. 35.*

XIX.

Similiter pater poteſt liberos ſuos præterire, &, modò illis legitimam titulo inſtitutionis relinquat, in teſtamento extraneos & peregrinos heredes inſtituere, ita ut eô caſu liberis, qui quartam debitæ portionis partem conſequuntur, querela inofficioſi non competat. *§. 3. Inſtitut. & l. 30. C. de inofficioſ. Teſtam. Nov. 18. cap. 1.* Jam ubi conſvetudine vel lege ſtatutaria illud receptum & conſtitutum eſt, utique ab illa hereditate, quæ in alium locum transfertur, certam portionem decerpere Magiſtratus loci poterit.

XX.

Quam conſvetudinem probârunt jam dudum Receſſus & conſvetudines Imperiales; Sic *in Receſſu Imperij* zu Augſpurg *de an. 1555.* §. Wo aber unſerr ꝛc. fol. 451 conſtitutum eſt. Wo aber unſere / auch der Chur-Für-ſten / Fürſten und Stände Unterthanen der alten Religion, oder Augſpurgiſcher Confeſſion anhängig / von ſolcher jhrer Religion wegen / auß Unſeren / auch der Chur-Fürſten / Fürſten und Ständen deß Heil. Reichs Länden Fürſtenthumen Städten oder Flecken / mit jhren Weib und Kindern / an andern Ort ziehen / und ſich nieder thun wolten / dem ſoll ſolcher Ab- und Zuzug / auch Verkauffung jhrer Haab und Güter gegen zimlichen billigen Abtrag der Leib-Eigenſchafft / und NB. Nachſteur / wie es eins jeden Orts von alters her vblich hergebracht / und gehalten worden iſt / unverhindert männiglich es zu gelaſſen und bewilliget / auch an jhren Ehren und Pflichten

llerdings unentgolten ſeyn. *Et in Receſſu Imperij* zu Regensſpurg §. und ſo viel etc. *fol. 805.* clarè dicitur: daß die conſtitutio Arreſtorum ad illicita Arreſta facti, quæ fiunt propria autoritate, ſine cognitione cauſæ, und die jhrer rechten Eigenſchafft nach/und in rechten verbottene arreſta genennet werden/zuverſtehen/und ad licita de jure permiſſa arreſta, welche ratione contractus confeſſati, rei judicatæ, conventionis, pacti, transactionis, conſvetudinis, privilegij, auch NB. gewohnlicher hergebrachter Nach-Steur Abzug etc. nicht zu extendiren ſeyn.

XXI.

Ex quibus textibus duo cumprimis ſunt obſervanda. 1. Quod in Germania jus Detractionis non eſt publica quadam lege ſancitum vel conditum, ſed in varijs locis conſvetudine, vel etiam ſtatutis introductum. in verb: üblichen hergebracht und gehalten worden. Item Gewöhnlicher hergebrachter Nach-Steur und Abzug. Statuta autem & conſvetudines ſunt jus civile in illis locis in quibus vigent. *Mynſing. Decad. 1. Reſp. 9. n. 19. p. 68. Köppen. lib. 1 Obſerv. 18 n. 4. fol. 32.* 2. Quod Imperij conſtitutiones, ejusmodi conſvetudines & Statuta diſertis verbis approbent & confirment, uti ex oculari inſpectione patebit. Ubi autem verba legum ſunt manifeſta & perſpicua, non neceſſum eſt confugere ad conjecturas & ratiocinationes: *Baldus ad l. 18 C de jur. deliber.* utpote quæ lege loquente tacere & ceſſare debent. cùm in apertis hæſitare ac cœcutire velle, ferè ſit cum rectâ ratione inſanire. *Iohan. Sibrand. part. 1. ſect. 4. n. 6. in fin. fol. 370. Iur. Lubecenſ.* Et ubi textus habetur expreſſus, ibi locus non poteſt eſſe dubitationi. *Iohan. Fich. Conſil. La-*

ſil. Latino 4. n. 7. fol. 10. Eapropter inanis eſt illa quæſtio: An ex uſu reipublicæ Germanicæ ſit iſthæc exorbitantia & odioſia tributa ibidem exercere? quippe quòd in tanta luce, contra publicas imperij Sanctiones confirmatorias diſputare, aut ubi dubium non eſt, dubium movere, vani & otioſi ingenij indicium ſit.

XXII.

Interim hæc verba Jus Emigrationis & Ius Detractionis diverſa eſſe, & apud Germanos diverſam obinere ſignificationem Doctores tradunt. Nam quando ſubditus ex uno territorio ſe confert in aliud, tum ſuperiori Magiſtratui ſuo ex bonis, quæ in territorio illo vendit vel alienat, vel ſecum aſportat, aliquid contribuit, quod eſt ultimum, quod iſti magiſtratui perſolvitur de bonis diſcedentis, ubi poſt exſolutam illam partem tributi ſubdito aliò migrare licebit. Quod jus vocant Germani Nachſteur/ quaſi poſtremum diſcedentis ſeu emigrantis tributum. Quoniam vocabulum Steur apud Germanos tributum ſignificat. *Vid Johann. Meichſnerum Tom. 2. lib. 1. Deciſ. 8. n. 5. fol. 800. Gail. lib. 2. Obſ. 51. n. 9. pag. 385* Dici itaque ſolet Nachſteur/ Abzug/ *Gail. l. 2. 36. n. 10. p. 349.* ſcilicet quod poſcitur von denen Abziehenden/ der Nach-Schoß vel Abſchoß. *Cothman. Reſpon. Academ. 19. n. 3. fol. 105.* Quando vero à morientium hereditatibus, quæ alibi locorum transferendæ ſunt, aliquid detrahi debet, illud vocatur in ſpecie detractio, Germanicè der Abzug/ id eſt, portio, quæ detrahitur ab hereditate; quemadmodum & in Receſſibus Imperij eodem fermè modo diſtinguuntur. *Vid. Beſold. in Theſaur. juris Practico, Voce Abſchoß. fol. 10. Speidel. in Specul. jurid, Politico. voce Ab-*

ẞug / fol. 11 Chriſtoph, Schvvanman. cap. 2. n. 8. & ſeqq. p, 10. & ſeq. Compend. jur. Emigrat. & Detractionis.

XXIII.

Hinc diverſæ horum jurium dantur deſcriptiones. Nam 1. Jus Emigrationis eſt tributi genus, quod perſolvendum eſt de bonis eorum, qui ſponte ſua vel ad mandatum Superioris, citra delictum tamen, cùm omnibus ſuis fortunis ex una Civitate in aliam, vel ex uno territorio in aliud domicilij transferendi cauſa transmigrant, ad perſolvendum ultimum illud, quod vel in compenſationem prioris defenſionis, vel ob imminutionem ſoliti hactenus tributi pendi poterit. Nam tranſportatio bonorum etiam Dominis ratione ſui juris damnoſa exiſtit. Verùm 2. Ius Detractionis deſcribi poteſt per Facultatem decerpendi certam portionem de bonis hereditarijs, quæ exteri heredes, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato ſuccedentes Magiſtratui loci, ubi hereditas delata, ad alium verò locum transferenda eſt, relinquere coguntur, in ſublevamen priſtini tributi, quod amplius de illis non ſolvitur.

XXIV.

De quo jure Detractionis præſens noſtra erit Diſſertatio, ſcilicet quod hoc loco de alio detractionis genere nobis ſermo eſſe non debeat, quam de eo, cum de hereditatibus, legatis, Fidecommiſſis, quæ exteris relinquuntur, aliquid decerpi ſolet. Nam, *uti Pedrocha in lib. de Arte juris cap. 16. n. 586. fol. 217.* ait. Mihi licitum eſt, quid & qua de re velim hoc vel illud ſub certamen revocare, cum quædam ſint, quædam non ſint, quæ bonas argumentationes admittant vel reſpuant.

XXV,

XXV.

In hoc poſteriore ſignificatu Detractio eſt quædam tributi Species, quâ certa pecuniæ quantitas, de hereditate defuncti exteris heredibus relicta, ſecundum mores & conſuetudines cujusque loci detrahitur, ad damnum quodammodo reſarciendum, quod ex transportatione talium rerum oritur 1. Dicitur ſpecies Tributi in ſenſu quodam latiore, in quantum aliquid de patrimonio hereditario, vel etiam ejus parte tribuitur fiſco. 2. Certa quantitas pecuniæ eſt perſolvenda, prout moribus & conſuetudine cujusque loci eſt introductum. Hinc quibusdam in locis, uti ſupra dictum eſt, tertia; in aliis locis quarta; alibi vero decima pars de hereditate perſolvenda eſt. 3. Quantumvis quantitas perſolvendi tributi rem ipſam ut & ejus æſtimationem directò reſpiciat; obligatio tamen & vinculum ſolvendi iſtud genus tributi ipſam perſonam afficit, quæ tenetur tributum iſtud ſolvere. Ea propter non ineptè dixit Baldus *ad l. 5. C. qui bonis cedere poſſ.* quòd collectæ materialiter ſint onera rerum; formaliter autem Perſonarum. 4. Finis eſt reſarcire quodammodo damnum, quod ex avectione rerum hereditariarum iſti loco accidit. Etenim quamdiu bona permanent in iſto loco, ubi hactenus fuerunt, ſubjacent tributis & collectis tàm ordinariis quàm extraordinariis. Quando verò ex iſto loco transportantur in alium eximuntur ab onere iſtius loci, unde pars quædam tributi decedit. Ut tamen iſtud damnum aliquo modo reſarciatur, tum Magiſtratus vel judex iſtius loci, ſecundum receptam conſvetudinem, aliquam partem de hereditate alibi transferendâ detrahit. Quòd hactenus nihil iniqui præ ſe fert.

XXVI.

XXVI.

Unde ex hiſce denuò concludo: Quodcunque in compenſationem damni vel lucri ceſſantis ſolvitur, illud in ſe iniquum non eſt; Ratio eſt, quoniam æquum eſt, ut pro lucro ceſſante, aut damno exorto, aliquid ſolvatur, quô, ſi non ex toto, ſaltem ex parte, damnum iſtud emergens compenſetur. Sed certa pars pecuniæ de hereditate alibi transferenda in compenſationem damni, vel lucri ceſſantis ſolvitur, E. Minor ex antecedentibus patet.

XXVII.

Quoniam verò in hoc jure reperiuntur nonnulla, ſine quibus illud non poteſt abſolvi, ideo ulterius diſpiciendum eſt, quænam ſint illa, absque quibus jus illud nec conſiſtere nec exerceri poſſit. Illa videntur eſſe tria. 1. Perſonæ, tàm illæ, quibus jus iſtud exercendi competit; quàm illæ contra quas iſtud exerceri poteſt: 2. Res de quibus detractio fieri poterit. Et 3. Modus, quo iſtud jus detractionis exerceatur. Cum itaque Perſonarum gratia jus conſtitutum ſit, ideò de perſonis initium faciemus,

XXVIII.

Et quidem primum videamus de illis Perſonis, quæ jus detrahendi habent. Sunt qui hanc poteſtatem unicè tribuunt illi ſaltem Magiſtratui, qui ſuperiorem jurisdictionem ſive jus ſuperioritatis habet & hoc inter alias ex hac quoque ratione: Quòd tali magiſtratui jus protectionis competat. Svvanman tamen *c. 4. n. 9. p. 43. Compend. juris Emigr. & Detract.* his verbis ſcribit: De conſuetudine Magiſtratibus merum & mixtum imperium habentibus poſſidentibusque juris-

juriſdictionem omnimodam, ob factam protectionem meritò expendi hodie extra controverſiam eſt clamante ipsâ experientâ. Idem etiam jam tum ſtatuit eruditiſſimus Saxonum ICtus Matthias Berlichius his verbis, quæ leguntur in *part. 3. Concl. 52. n. 19. fol. 354.* Jura hæc non indiſtinctè cuivis Magiſtratui; ſed illi tantum competunt, qui habet ſuperiorem & ita ſimul criminalem juriſdictionem quia ejusmodi deductio eſt inſtar Gabellæ, ſive vectigalis; Vectigalia verò & Gabellæ, ad illum, qui talem juriſdictionem habet, pertinent. Quod quoque defendere videtur *Scheplitz ad Conſt. Marchiac. p. 3. tit. 8. §. 25. n. 7. fol. 310.*

XXIX.

Qui tamen ſe fundat in jure Saxonico, ubi in jure Weichbildico *art. 59.* hæc verba leguntur. Ob jemand ein Erbe erbloß ſtirbet/ da ſich niemand zu zeuget binnen Jahr und Tag/ daß fället an die Königliche Gewalt: daß wiſſet hie/ bey der Königlichen Gewalt iſt nicht allein zu vernehmen der König; ſondern auch alle die/ denen daß Schwerdt anbefohlen iſt/ damit zu richten/ und daß Recht zu ſtärcken/ daß Unrecht aber zu kräncken: Item Stöcke/ Pranger/ Galgen/ Steupen/ und allerley Sachen damit man Miſſethäter peinigen ſoll/ umb jhr verdienten Lohn davon zu halten. quamvis aliàs, ut hoc obiter moneam, Jus civile Cæſareum in Electoratu Brandenburgenſi receptum eſſe, idem Schepliz. *part. 2. Tit. 1 §. 1. fol. 76.* clariſſimè demonſtret.

XXX.

Verùm licèt non negemus Superiori Magiſtratui hoc jus detractionis competere; tamen & illud certum eſt quod & inferiori Magiſtratui, modò ei competat merum

um & mixtum imperium, hoc jus denegari non poſſit, quippe quòd hoc jus magis jurisdictioni in ſe, ſpectatæ quàm Superioritati adjunctæ accedere videtur; quod non videtur, negare Schepliz *part. 3. tit. 8. q. 3. per tot. fol. 323.* licet viciſſim illud conſvetudini acceptum ferat.

XXXI.

Quicunque igitur habent merum & mixtum Imperium, vel mixtum tantùm, ſecundum receptam conſvetudinem, aut etiam jus ſtatutarium, illi jus Detractionis exercere poſſunt, juxta mores in quavis parte Germaniæ introductos. Unde quoniam non tantum liberæ Imperiales; ſed etiam Municipales civitates merum & mixtum Imperium ſi non ſemper ex toto, ſed ſaltem ex parte habentes Jus Detractionis exercent; Sequitur omnes illas Univerſitates, Collegia, Communitates ut & Præfecturas, quatenus merum vel mixtum Imperium obtinent, poſſe jus detractionis exercere circa res hereditarias, quæ è ſuis locis in aliam provinciam aut territorium transferuntur. Quæ aſſertio ulterius tamdiu quoq; vera eſt, quamdiu verum eſt, quod municipales civitates ut & aliæ communitates, habeant poteſtatem introducendi conſvetudinem.

XXXII.

Ex quo deducitur quod & loca inferiora, Weichbilder/ Flecken/ Vogthenen und Dorffſchafften, ſi tale imperium obtineant, illud jus poſſint exercere. Subinde etiam & hoc poſſumus colligere, jus detractionis exerceri in ſignũ deficientis tributi, quod nimirum ab illis bonis hereditarijs in poſterum nihil amplius ſolvatur, & ita illud, quod detrahitur, ſit ultimum, quod de bonis illis Magiſtratui loci contribuatur.

XXXIII.

XXXIII.

Quamvis in eo non poſſim aſſentiri illis, qui docent, detractionem eſſe inſtar Gabellæ ſeu vectigalis, quaſi teſte Sixtino *lib. 1. c. 6. n. 16. de regalib. p. 568.* vectigalia ad ſuperiorem jurisdictionem pertineant, adeòq; regalibus annumerentur. *C. unic. 2. Feud. 56.* cùm detractionis jus à quovis, juxta tenorem ante dictorum, jurisdictionem habente exerceri poſſit, ut ita propius ad naturam Collectæ accedere videatur. Sicuti quoque in *R. Imper. de anno 1555.* vocatur eine Nach-Steur / qua voce nihil aliud quam Collecta, & quidem poſtrema ſeu ultima denotatur, teſte Meiſchnero *Tom. 2. lib. 1. Deciſ. 8. n. 5. fol. 800.* Et licèt hic in *eodem lib. deciſ. 6.* cùm Sixtino *l. 2. c. 14. n. 16. p. 568. de regal.* collectas Regalibus annumeret; nihilominus tamen & illis, qui jura regalium non habent, ſed ſaltem jurisdictionem, modô antea explicatô, obtinent, collectas exigendi poteſtas competit, quando nempe unanimi conſenſu per conventionem publicam ſunt decretæ, quod idem Sixtin. *l. 2. c. 14. n. 22. de Regalib. p. 570. 571.* diffiteri non poteſt. Quocum facit Antonius Theſaurus. *Deciſ. 257. n. 1. fol. 140.* Quia collectas imponere poteſt univerſitas ſeu conſilium cujuslibet loci, & tali impoſitioni omnes, etiam qui non intervenerunt, acquieſcere debent. Addi quoque poterit Colerus *conſ. 42. n. 19. & ſeqq. fol. 293.*

XXXIV.

Quod exinde validè probari poterit, cùm quædam civitates & communitates habeant jus & poteſtatem ſtatuta condendi & conſvetudinem inferendi, uti illud jam tum ſupra adductum eſt, quibus utique jus detractionis vel ſtatuto aliquo vel conſvetudine introducere

ducere licere expeditum eſt, apud Gail. *l. 2, Obſerv. 36. n. 10.* Inde concludo: Quæcunque civitates & univerſitates habent jurisdictionem, illæ obtinent poteſtatem condendi ſtatuta & introducendi conſvetudinem, & conſequenter jus detractionis vel per ſtatutum, vel per conſvetudinem exercendi. Sed quædam civitates municipales ut & aliæ univerſitates habent jurisdictionem. E. De majoris veritate ſi mores noſtræ Germaniæ conſideramus, non licet dubitare, cùm longè aliter apud nos ſeſe habeat jurisdictio, quàm olim apud Romanos. Minorem probat experientia.

XXXV.

Certum itaque erit, quod merum & mixtum imperium habentibus competat jus detractionis, ſive illud ipſis ſit à Superiore ſpecialiter conceſſum, ſive præſcriptione acquiſitum. Hoc tamen cum diſcrimine, ut, ſi ſtatutum de detractione fuerit conditum, illud vel ſpeciali indigeat ſuperioris confirmatione, niſi illa univerſitas generalem conceſſionem de condendis ſtatutis antea obtinuerit: Si vero conſvetudine introducatur, ſufficit, ſi illud exercitium circa detractionem ad Superioris notitiam pervenerit, & is non contradixerit, ſed permiſerit illud ita exerceri.

XXXVI.

Vt autem validè Magiſtratus hoc jus detractionis exercere poſſit, neceſſe eſt, 1. ut â parte ipſius non ſit aliquis defectus; unde Doctores Magiſtratui ſaltem civilem & inferiorem jurisdictionem habenti hoc jus detractionis denegant. Vide Mynſing. *Decad. 4. Reſp. 32. n. 21. fol. 289.* Ioachim. Scheplitz *part. 3. Tit. 8. §. 25. pr. n. 2, & 3, & ad Conſuet. Marchiac. fol. 310.* Berlich. *part.*

3. Concl.

3. Concl. 52. n. 19. fol. 354. 2. Vt jus detractionis ſit vel Statuto valido comprehenſum; vel conſuetudine diuturna acquiſitum per tales actus, qui ad introducendam conſuetudinem ſint habiles; ut ſunt 1. actus ſimiles, ſeu difformes in eo genere actus non exſtent. *per. l. 3. C. de ædific. privat.* 2. Cumprimis verò, ut iſti actus ad eundem finem tendant, id eſt, animo introducendi conſuetudinem exerceantur, ſeu in vim conſvetudinis fiant: Aymo Cravetta. *Conſ. 171. n. 14 fol. 325.* cùm actus nonnulli ſimilitudinem quandam externam habere, diverſum tamen ob finem fieri queant, quales ad inducendam conſuetudinem non ſufficiunt per ea quæ tradit Cravetta *Conſ. 197. n. 12. fol. 375.* Simon de Prælis *lib. 1. conſ. 200. n. 9. fol. 883 884.* Bertazol. *lib. 1. conſ. civil. n. 24. 25. & 27. fol. 334.* Hinc eſt communis theorica: Quoties aliquis actus diverſis reſpectibus fieri poteſt, inſpiciendum eſt, quo animo, quave contemplatione is actus fiat. Mynſing. Decad. *1. Reſp. 10. n. 35. fol. 78.* 3. Actus iſti debent eſſe publici non clandeſtini, ut conſtet de intentione & conſenſu populi, ut & de animo conſuetudinem introducendi. Hinc ex eo, quod nonnulli ſuum jus cedant alteri, vel ex amicitia, gratia, aut animo evitandæ litis aliquid faciant, vel aliquis loco detractionis quippiam ſolvat, vel clam vel cum proteſtatione, vel etiam, ne ei moleſtia & impedimentum in aſportandis bonis hereditariis creetur, iſte actus, ob aliam adhærentem qualitatem non poteſt eſſe principium introducendi conſuetudinem, quoad jus detractionis: Reusner. *par. 4. Decif. 9. n. 35. fol. 166.* 4. Requiritur actuum frequentia: Non enim unus ſed plures actus, iique frequenter exerciti

G 3 valent

valent ad conſuetudinem introducendam. Petrus Salazar. *cap. 7. n. 13. p. 221. de uſu & Conſuetud.* Plures autem actus ſunt probandi, ſi parum noti & incelebres exiſtant: pauciores autem probandi erunt, ſi quamplurimis hominibus noti eſſe potuerunt. Mynſing. *Decad. 1. Deciſ. 10. n. 34. fol. 77.* In definiendo autem actuum numero nihil certi determinari poteſt, ſed ſufficit tot actus eſſe frequentatos, ut ex iis de tacito populi conſenſu conſtare poſſit. *Gail. l. 2. Obſerv. 31. n. 7. 8. 9. p. 340.* Præterea. 5. Tempus requiritur: Conſuetudo namque diuturna & inveterata appellatur *l. 32. §. 1. L. 33. ff. de LL.* Quantumvis ad conſuetudinem deſideratur obſervatio per multos annos; attamen quantum temporis & quot anni ad introducendam conſuetudinem requirantur, legibus non eſt definitum. Proinde inclyti Grotii *l. 2. c. 6. n. 3. de J. B. & P.* aſſertioni inſiſto, qui ita judicat: Tempus, quo conſuetudo effectum juris accipit, non eſt definitum, ſed arbitrarium, quantum ſatis eſt, ut concurrat ad ſignificandum conſenſum. Modò 5. illis actibus ad conſvetudinem directis non fuerit contradictum: hoc ſiquidem factô curſus temporis fuit interruptus, & conſuetudo non potuit effectum juris & obligationis conſequi. Quamdiu autem. *6.* diſputatur, an jus detractionis conſuetudine ſit introductum, tamdiu Magiſtratus non poteſt jus detractionis contra renitentem exercere, donec jus ſuum legitimè probaverit. Ita pronunciatum eſt, in Nobili Collegio ICtorum de Anno 1638. menſe Februario. Weil die Obrigkeit in N. N. daß Sie das jus detractionis von denen abfahrenden Erbfällen/ zu exerciren befuget/ nicht erwieſen: die angegebene actus auch

des

derſelben nicht zuſtatten kommen; So iſt Sie von T. den zehenden Pfennig zu fodern nicht befuget / ſondern denſelben mit dem Jhm angeſtorbenen Erb-Guth ohn Abſchoß frey und ungehindert abziehen zulaſſen ſchuldig. V. R. W.

XXXVII.

Vlterius videndum de perſonis adverſus quas hæc detractio exerceri poteſt ; Vbi talem pono Regulam: Omnes homines, qui res hereditarias ex uno loco in alium transferre volunt, ſpeciali autem privilegio vel ſtatuto non ſunt exemti, ſubjecti ſunt oneri detractionis. Berlich. *par. 3. Concl. 52. n. 22. fol. 354.* Inde etiam Nobiles, modò in iſta provincia ipſi ſpecialiter non ſint exemti, juri detractionis ſubjacent. Nam ſi conſuetudine hoc alicubi ſit inductum, ut etiam nobiles hereditatem accipientes teneantur de bonis hereditariis detractionem pati, utique iſti conſuetudini eſt inhærendum. Quandoquidem conſuetudo habet vim legis, imò ipſa lege interdum potentior eſt, in quantum non rarò legem vincit, & jus poſitivum uſu contrario tollit. *l. 32. 33. 35. 37. ff. de LL.* Borellus *par. 1. Tit. 14. n. 2. 3. fol. 36. Deciſ. aurearum.*

XXXIIX.

Unde concludo ita : Quibus in locis Magiſtratui per diuturnam conſvetudinem, vel per valida ſtatuta jus derractionis indiſtinctè contra non exemtos exercendi acquiſitum eſt, in illis locis omnes cujus conditionis & dignitatis fuerint, niſi vel ſpeciali privilegio vel longa conſvetudine, vel etiam ſtatuto locali de exemtione muniti fuerint, de transferendis bonis hereditarij

ditariis aut etiam legatis conſvetam portionem ſolvere tenentur,& conſequenter ſi nobiles iſtam exemtionem legitimè docere ac probare nequeant, utique & in illis caſibus oneri detractionis erunt ſubjecti.

XXXIX.

Ab hoc tamen onere exemti ſunt omnes illi, qui vel certo quodam privilegio, vel conſvetudine aut etiam ſtatuto locali exemtionem docere poterunt. Uti ſunt. 1. Liberi Exteri; Etenim ſi liberi in eo loco, ubi tale jus uſurpatur, parentibus ſuccedere velint;tunc eorum hereditates abſque onere detractionis percipere & aliò transferre poſſunt. Berlich. *part.3. Concluſ. 52. n. 23. fol.354.* Ratio eſt, quia liberi non tàm hereditates parentum percipere, quàm Dominium continuare& liberam bonorum adminiſtrationem conſequi dicuntur. *l. 11. ff. de liber. & poſth. heredib. inſtit. l. 6. §. 5. ff. de acquir. vel. amitt. hered.* Argumentor ita!

Ubi nulla eſt hereditas,ibi quòque locum habere non poteſt hæc detractio. Sed quando liberi parentibus ſuccedunt, ibi nulla eſt hereditas l. 11. ff. de liber. & poſth. hered. inſtit. E.

XL.

2. Parentes Exteri. Illud conſtat ex jure, quod natura ſimul & parentum commune votum hereditatem adjudicet liberis: *l. 7 ff. de bon. damnat. l. 7. ff. und. liberi:* attamen parentes, turbatô mortalitatis ordine, ratio miſerationis ad ſucceſſionem liberorum admittit. *l. 15. ff. de Inoff. Teſtam.* Et illa ratio commiſerationis hoc ſvadet, ut pari immunitate & exemtione à detractione parentes luctuoſam liberorum hereditatem percipientes gaudeant. Rauchbar. *p. 1. q. 15. n. 23. & ſeqq pag. 110.* Dico itaque. Quicunque ex ratione

miſera-

miſerationis ſuccedunt in defuncti bona, illi onere detractionis non immeritò ſunt exemti. Ratio conſequentiæ eſt : *Quia afflicto non eſt addenda afflictio.* per vulgata. Quamvis & hæc dari poſſit ratio : nam qui debebant alijs relinquere hereditatem, ij autem, quibus illa erat relinquenda, citius moriuntur, atque ita ſuccedentes miſeratione digni ſunt ob turbatum mortalitatis ordinem in luctum projecti, tum æquum eſt, ut ab illa luctuoſa hereditate nihil detrahatur, ſed illa in ſolatium ipſis permittatur integra. *Atqui parentes ex ratione miſerationis ſuccedunt in bona defunctorum liberorum.* E. Minor probatur *ex l. 15. ff. d. inoff. teſt.* Certè miſericordia dignus eſt pater, qui luget eum eſſe demortuum, quem naturali voto ſibi optabat ſuperſtitem. Addi ulterius & hoc poteſt, quòd inter parentes & liberos *jus quoddam reciprocum* intercedat, adeoque iſtis ſolutionibus ab utraque tàm liberorum quàm parentum parte *debiti potius ſolutio* quàm *donatio* aut *muneris oblatio* aut *liberalitas per l. 1. C de impon. lucrat. deſcript.* intelligatur. Rauchbar. *p. 1. q. 15. n. 25. p. 110.* In hereditatibus autem tàm liberorum quàm parentum jus detractionis non habere locum inſigni præjudicio firmat Richter. *ad l. ult. C. n. 8. p. 455. de Edict. D. Hadrian. tollend.*

XLI.

Extenditur quoque illud ad nepotes & alios deſcendentes, qui liberorum appellatione veniunt, quia, hoſce omnes SUORUM appellatione LL. 12. Tabb. comprehendunt *l. 220. ff. de V. S.* Ubi Gœddeus *pag. 1212.* annotat: *Liberorum appellatio generalis eſt, omnesq́ deſcendentes continet, & in eo potior atque generalior hujus vocis ſignificatio eſt quam filij l. 56. §. 1. l. 84. l. 1. 8. l.*

149. & l. 261. ff. de V. S. interim æquiſſimum eſt nepotes neptesque in patris ſui locum ſuccedere. *§. 6. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. deferunt.*

XLII.

Hæc omnia tamen eatenus vera ſunt, quatenus ſtatutum vel conſvetudo non exſtat in contrarium, eo ſiquidem caſu de liberorum & parentum hereditatibus detrahitur pro loci iſtius moribus. Andr. Rauchbar. *p. 1. q. 15. n. 10. p. 108.* Sic conſvetudine in terris Marchiæ obſervatur, ut etiam de parentum & liberorum hereditatibus quindena detrahatur. *Scheplitz par. 3. tit. 8. §. 1. n. 15. ad Conſuetud. Marchiac. fol. 296. Berlich. par. 3. Concl. 52. n. 25. 26. fol. 355.* Quod ſtatutum vel conſvetudo an juſtitiâ nitatur, vel non, hac quidem vice ſub cenſuram non vocabo; Illud tamen dubium eſt, an ſicuti Jacobus Andreas Cruſius *in tract. de jure detract. cap. 8. n. 13. p. 43.* à legitimæ diminutione vel augmento, de quo *Novell. 18. c. 1.* legi poterit, argumentari vult, illud procedat, ob magnam diverſitatem quæ utrobique intercedit.

XLIII.

Sunt & alij, qui ab hoc onere detractionis immunes eſſe ſolent uti pauperes, quos dura premit egeſtas. Swanman. *c. 1. n. 9. p. 5. de jur Emigra.* & Nobiles à parentum bonis ſeparati, ita, ut ſi mortuô defunctô, unus ex filijs retineat bona feudalia, reliquis verò filijs pecunia ex feudo ſolvatur, allodialia interim filiabus cedant, tum, licet jus detractionis ibidem longo uſu introductum ſit; nihilominus tamen nec filij de pecunia illa, quam ex feudo percipiunt, nec filiæ de bonis allodialibus fratri ſuo feudum retinenti hanc Gabellam

ſolve-

ſolvere obſtricti ſunt. *Scheplitz.par.3.Tit.8. §.25.q.1. n.1.2.3.4.5.6.fol.311. Berlich.par.3.Concl.52.n 29. fol. 355.* Coheres namque contra coheredem jus detractionis exercere non poteſt, ob paritatem, quippe quod par in parem non obtineat jurisdictionem *l.4.ff. de recept. arbitr.*

XLIV.

Præterea Princeps exemtus eſt ab onere decimandi, quapropter, ſi in eo loco, ubi jus detractionis in uſu eſt, heres inſtitutus eſt, aut ei legatum eſt relictum, adverſus eum jus illud exerceri non poterit. Paul de Caſtro. *ad l.5.n.26.C.de Vectigal. Svvanman.c.5.n.14.p.52. de jur.detract.* Nam præſumtio eſt quòd in oneribus ex lege poſitiva vel conſvetudine deſcendentibus, quibusve privati gravantur, Principis perſona intelligatur excepta, niſi ex actibus indubitatis conſtet, ipſum ſponte ſua ſeſe iſtis voluiſſe ſubmittere.

XLV.

Ulterius Eccleſia & Clerici ab hoc onere eximuntur, *per l.5.C.SS.Eccleſ.* Inde ſi Eccleſiæ aliquid in teſtamento relictum ſit, illud oneri detractionis non eſt ſubjectum. Clericorum immunitatem, ne ipſis à laico Magiſtratu imponantur collectæ, & alia onera, ex parte fundatam *in c.4.& 5.Ext. de Immunit. Eccleſ.* ad hoc detractionis genus extendi docent *Thomas Grammaticus deciſ.29.n.15.16.fol.51. Natta vol.1.conſ.203.n.1.& ſeqq.fol.176. Camillus Borellus conſ.74.n.7.fol.249.* Et hujus ſententiæ fundamentum ponitur in eo, quod bona clericorum, quæ gaudent privilegio Eccleſiæ, exemta ſint à jurisdictione Magiſtratus ſecularis, & ſequantur conditionem & privilegium perſonæ. Proinde ſi

 laicus

laicus à Clerico inſtitutus fuerit heres, vel laicus ab inteſtato ſuccedat Clerico, defuncti bona, quæ adhuc repræſentant Clericum, neque directè neque per indirectum cenſentur affici juriſdictione laicorum, inde etiam ſucceſſores non tenentur de bonis hereditarijs aut legatis à defuncto clerico relictis detractionem pati. Vid. eleganter hæc tractantem Beſoldum, *p. 4. Conſil. 172. n. 23. & ſeqq. fol. 118.*

XLVI.

Pari immunitate gaudent Paſtores Auguſtanæ Confeſſionis, quapropter ſi eo in loco, ubi jus detractionis receptum eſt, hereditates aut legata accipere velint, ejusmodi detractionem pati non tenentur. *Scheplitz. p. 3. Tit. 8. §. 7. n. 7. ad Conſuet. Marchiac. Berlich. par. 3. Concl. 52. n. 30. fol. 355.* Etenim quia illi ſacrum illud munus apud nos ſuſtinent, & in tali ordine vivunt, in cujus favorem privilegium exemtionis inductum eſt, nulla apparet ratio, quare illis idem iſtud jus denegandum ſit, quominus & ipſi ſint immunes ab onere detractionis, ſi ex alio loco hereditates vel legata petere velint: *Erneſt. Cothman. Vol. Sing. Reſponſ. Academ. 1. fol. 17. & ſeqq. Philippus Knipſchild. lib. 2. c. 20. n. 40. & 41. de jurib. & Privileg. Civit. Imper. fol. 492.*

XLVII.

Sed quid dicendum eſt de Profeſſoribus Academiarum, num quidne & illi ab onere detractionis ſunt exemti? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quod ab illis oneribus quæ poſſeſſoribus vel patrimonio indicuntur, nulla privilegia præſtent vacationem. *l. 10. ff. de vacat. & excuſ. muner. l. 3. & l. 6. C. de muner. patrim. l. 6. §. 4. & l. 18. §. 29. ff. de muneribus & honor.* Verùm deciſio,

eſt

eſt, quòd immunitatem iſtam habeant. *Cuppener. ad Auth. Habita C. Ne Filius pro patre. p. 68. Matth. Stephani lib. 3. par. 2. c. 10. n. 15. p. 73. de jurisd.* in tantum ut qui Academijs ejusmodi privilegia eripere, vel quavis ratione labefactare velint, tanquam Sacrilegi excommunicandi, & exilio deportationis ſubjiciendi ſint. Caſpar. Klockius *c. 15. n. 121. fol. 327. de Contribut.* quamvis iſtiusmodi Immunitatum turbatores arbitrario ſupplicio ſubjiciendos eſſe exiſtimet *Menochius l. 2. Caſu. 379. n. 1. & 2 fol. 697. de A. I. R.* Ratio decidendi eſt quoniam integer Academicorum Profeſſorum Ordo iſto privilegio à Cæſaribus eſt munitus, quod ipſis à Magiſtratu Inferiori nec auferri nec imminui poteſt. Ad leges in contrarium allatas reſpondetur, quòd illæ omnes ita procedant, niſi immunitas & exemtio ſpeciali quodam privilegio ſit tributa.

XLIIX.

Quod privilegium quoque ſe extendit ad Profeſſorum viduas & liberos, quamdiu in illa conditione & ſtatu permanent. Certè vidua, quæ in dignitate ſua perſiſtit, perinde judicatur ac ſi virum ſuum adhuc habeat ſuperſtitem. Eleganter *Paul. de Caſtra ad L. 4. n. 13. C. de bonis mater.* & pater abſens in perſona filiorum adeſſe & in loco reſidere videatur: *argum. eſt l. 22. C. de Agricol. & Cenſit.* Addi poteſt Erneſt. Cothman. *in Vol. Singul. reſponſ. Academ. 15. n. 27. & ſeqq. fol. 89. & 90.* Sanè pium pariter & æquum eſt, ut, qui maritum & patrem Profeſſorem amiſerunt, ob privilegium, cujus ipſi adhuc videntur participes, jure illo exemtionis, quoad jus detractionis gaudeant; nec obſtant illa, quæ *Ægid. Thomat. in tract. de Muner. & honor. §. Medici. n. 15.*

& ex eo Jacob. Thoming. Decis. 55. n. 28. p. 555. in contrarium diſputant, nam illorum argumenta validè ſunt evulſa à *Cothmanno dicto reſp. 15. n. 39. 40. 42. & ſeqq. fol. 91. Adde Cruſium c. 10, n. 1. p. 254. 255. de jure Detract.*

XLIX.

Hâc occaſione quæritur; Numquid ſi Profeſſores, aut illorum Viduæ, vel liberi illorum abſque teſtamento decedant, & heredes exteros ab inteſtato relinquant, illi portionem detractionis Magiſtratui Academico perſolvere teneantur? Equidem ſunt nonnulli in ea opinione, ac ſi Academiæ jurisdictionem obtinentes gaudeant jure detractionis, ita, ut exteri hereditatem Profeſſorum, vel Viduarum, aut liberorum avocaturi ab hoc onere detractionis non ſint immunes. Verùm, iſthæc aſſertio plane non obtinet, niſi vel ſtatuto vel conſvetudine hoc jus jam tum ſit introductum; ita tamen, ut ſtatutum ad obſervantiam ſit productum, vel conſvetudo huc uſque abſque ulla contradictione, per actus publicos ac notorios, non vero clandeſtinos invaluerit, & ſic Academia in quieta poſſeſſione exigendi hanc detractionem fuerit conſtituta. Hoc enim ſi deficiat, Academia, non obſtante juriſdictione, contra exteros heredes jus detractionis exercere non poteſt. Quemadmodum & multæ Academiæ, quod hoc jure non gaudeant, publicis atteſtatis profeſſæ ſunt, uti illud fatetur. *Cothman. Vol. Singul. reſp. Academ. 26. fol. 38. & ſeqq.* Ubi etiam inter alia producit Atteſtatum Helmſtadienſe de anno 1602. die 16. Januarij, his verbis; So wird auch kein Nachſteur zehend oder dritten pfenning von der Univerſität Gliedmaſſen/oder derſelben Witwen und Kindern/wann ſich dieſelbe von hinnen

nen begeben / aller derer Güter / welche Sie / ihre Ehe-Männer oder Eltern dahin gebracht/oder daſelbſt erkaufft haben/ gefodert oder gegeben/ſondern ſie ſeyn und bleiben damit gäntzlich verſchonet/ vermöge außdrücklich derwegen habenden abſonderlichen unſern Privilegien. Wie den auch von frembden / ſo Erbſchafft von der Univerſität Gliedmaſſen / und den privilegirten abzufodern berechtiget/ſolche Nachſteur nicht gefodert wird ꝛc.

L.

Quemadmodum igitur in aliis Univerſitatibus, ita & in Academijs licèt jurisdictionem habentibus, jus detractionis exerceri nequit, quàm ſi. 1. Statuto illud legitimè ſit introductum, vel 2. Si illud denuo introducendum ſit, omnium illorum, qui Magiſtratus iſtius ſunt membra, ſuffragia requirantur : nec hic locum habeat, quod aliàs dici ſolet : Majora vota concludere *per l. 36. & 39. ff. de re judic. l. 19. ff. ad Municipal.* Quoniam illud quod omnes tangit ab omnibus approbari debet ; cùm de eorum præjudicio agatur, abſurdum enim videri poſſit, ut is, qui alibi ſudore ſuo ſibi paravit opes, eas poſtmodum in Academia oneri detractionis ſubjicere debeat, quippe quod hic cauſa detractionis planè ceſſet.

LI.

Quod ſi ad conſvetudinem provocatur, tum neceſſum eſt, ut conſvetudo detrahendi per actus publicos, non autem clandeſtinos, deinde ſimiles, ut & animo introducendi conſvetudinem exercitos, legitimè probetur. Enimvero ſi unus vel alter caſus contigerit, quo hic vel iſte, ſed clàm & ex ignorantia (quod immunitas ab onere detractionis erga Academiam vel aliam

am univerſitatem ſit fundata,) remiſſionem à prætenſo iſto onere interpoſitis precibus impetravit; iſti actus ſunt clandeſtini inſufficientes, nec ex introducta conſvetudine proveniunt. Imò ſi unus aut alter ſimplex homo, hujus conditionis ignarus, aut oſor litium exiſtens Academiæ aliquid ſolverit, hoc pro ſtabilienda hactenus tamen non introducta conſvetudine nihil facit, multò minus illam firmare, aut Academiæ jus aliquod circa detractionem iſtam tribuere poteſt.

LII.

Sunt & aliæ quam multæ perſonæ exemtæ ab onere detractionis, uti ſunt Cancellarij, Conſiliarij Aulici, tam nobiles quam non nobiles ſed docti, Conſiſtoriales, Eccleſiaſtæ Aulici, Superintendentes, Paſtores, Archiatri, Secretarij, & plures alij, quos omnes hic recitare non poſſum. Ea propter provoco ad conſtitutiones & conſvetudines diverſorum locorum, chartæ interim anguſtia non patitur, ut de perſonis plura dicam.

XLIII.

Itaque miſſis perſonis rectô pede progrediar ad bona, quæ detractioni ſunt obnoxia. Ut autem omnia diſtinctè proponantur, utique bona ſunt in triplici differentia. 1. MOBILIA, quo nomine veniunt omnia, quæ ſui natura de loco in locum moveri poſſunt; Germani vocant **die Fahrniß oder fahrende Haabe** quia de uno loco in alium tranſportari valent. Et hæc non circumſcribuntur loco; ſed perſonæ defunctæ tenaciſſimè inhærent, ita ut de eo loco eſſe cenſeantur, ubi aliquis habet domicilium. *Gloſſ. ad l. 19. §. 2. n. 1. ff. de hered. inſtit. Coler. par. 1. c. 3. n 254. de Proceſſ. Execut. fol. 90. 2.*

go. 2. Immobilia, quæ propriè dicuntur, quæ de loco in locum tranſportari nequeunt, uti ſunt res fundi vel ſoli. Deinde etiam omnes res, ex quibus fructus percipiuntur, inter immobilia computantur. *Vincent. Caroccius par. 2. q. 44. n. 2. pag. 319. de Excuſſ. bon. Gail. lib. 2. obſ. 10. n. 1. & ſeqq. pag. 294 Bernhard Grevæus l. 2. Concluſ. 10. per tot. p. 26. & ſeqq.* Res ſoli ſeu bona immobilia tantùm ſunt ſub juriſdictione & territorio ejus loci, ubi ſita ſunt, etiamſi illorum Dominus alibi habeat domicilium. *l. 4. §. 2. ff. de Cenſib. l. 1. & 3. C. ubi in rem actio exercer. debeat. Carpzov. lib. 6. Reſponſ. 39. per tot. fol. 1352. & ſeqq.* 3. Quædam ſunt MIXTA, quæ propriè loquendo nec mobilibus nec immobilibus annumerantur bonis, ſed tertiam quandam & peculiaarem ſpeciem conſtituunt, uti ſunt nomina, quô referri ſolet *l. 7. §. 4. ff. de pecul.* actiones, jura & annui reditus. *Jacob. Schultes in addit. ad Modeſtin. Piſtor. par. 3. qu. 224. n. 47. p. 163. Koppen. Deciſ. 24. n. 7. fol. 66.* Et in ſpecie annuos reditus quod attinet, quia plerumque ex bonis immobilibus debentur, utique non immeritò illi immobilibus annumerantur. *c. exivi. in Clement. de V. S. Berl. par. 3. Concl. 34. n. 5. fol. 260.* quod de jure Saxonico dubium quoque non habet. De jure civili tamen ſi ex obligatione perſonali debentur, mobilibus adſcribi poſſunt. *Frider. Pruckman. Vol. 1. Conſ. 28. n. 42. fol. 499. Vultejus lib. 1. c 5. n. 9 pag. 79. Knipſchild. c. 5. n. 30. de Fideicomm. famil. pag. 60.* Interdum tamen verba Scripturæ aut Sermonis cogunt ejusmodi jura ad alterutram bonorum ſpeciem referri. *David Mevius in Comm. ad jus Lubec. q. 6. n. 27. fol. 22.*

LIV.

Quibus præmiſſis dico: Quòd omnia bona tam

E mobilia

mobilia, quàm immobilia& quæ ad utriusque ſpeciei claſſem referri poſſunt, modò ſub jurisdictione Magiſtratus poteſtatem detrahendi ſibi vindicantis illa fuerint ſita, oneri detractionis ſint obnoxia. *Joachim. Scheplitz. par. 3. Tit. 8. § 3. n. 2. 3. & ſeqq. ad Conſuet. Marchiac. fol. 296. Berlich. p. 3. Concl. 52. n. 38. fol. 352.*

LV.

Et ita bona immobilia detractionis juri ſubjecta ſunt, modò illa ſita fuerint in diſtrictu illius Magiſtratus, ubi defunctus ſuum habuit domicilium. *Svvanman cap. 3. n. 24. p. 29. de jur. Emigrat.* Quod ſi tamen alibi, quàm ubi teſtator, aut Dominus habitavit, ſita ſunt; tum illa nullo iſtius Imperij aut jurisdictionis actu comprehenduntur; ſed potiſſimum legi iſtius loci, ubi illa exſtant, ſubjacent. *Gail. l. 2. obſerv. 124. n. 8. p. 544.* Ratio eſt, quoniam bona immobilia regulantur ſecundum conſvetudinem ejus loci, in quo exiſtunt, atque ita hac ratione ejus quoque jurisdictionis exiſtimantur. *Berlich. par. 3. Concluſ. 52 n. 66 fol. 358. Schultes. ad par. 2. Modeſtini Piſtor. qu. 85. n. 5. pag. 387.*

LVI.

Bona quoque mobilia juri detractionis ſubjacent, quod in ſe nullam recipit dubitationem. Et hoc in tantum verum eſt, ut etiam mobilia extra jurisdictionem Magiſtratus, ubi defunctus quondam vixit, reperta hanc exactionem incurrant. *Gail. lib. 2. Obſ. 124. n. 17. p. 546. Berlich. par. 3. Concl. 52 n. 69. fol. 358.* Ratio eſt, quia bona mobilia reſpiciunt perſonam, aut hereditatẽ cui adhærent. *Petr. Peckius lib. 4. c. 35. n. 7. p. 400. de Teſtam. Conjug. Coler. par. 1. c. 3. n. 29. fol. 64. de Proceſſ. Execut.* Argumentor ita: Quem Magiſtratum aliquis agnovit

vivens,

vivens, illius bona relicta ejus jurisdictioni manent obnoxia. Ratio conſequentiæ eſt, quia mobilia ſequuntur relinquentis Perſonæ conditionem, utpote cui dicuntur adhærere. Sed demortuus Magiſtratum agnovit vivens, ſub cujus jurisdictione vixit. E. Et huc facit. *l. 35. §. 3. ff. de hæred. inſtit.* ubi clarè dicitur: quòd res ad aliud territorium translatæ, ut tamen ibi perpetuò non ſint, pertineant ad patrimonium domicilij ejus, qui tranſtulit.

LVII.

Equidem in conventionibus inſpici ſolet locus contractus; attamen hoc ad ſucceſſiones univerſales non porrigitur, utpote quæ ex loco domicilij æſtimantur. Enimverò hereditatis judex ille eſt, ſub quo defunctus habuit ſuum domicilium, & ubi tandem mortuus eſt: quandoquidem bona mobilia tàm activè quàm paſſivè defuncti oſſibus & perſonæ inhærent. *Paul. de Caſtro ad L. unic. C. de imponend. lucrat. deſcript.* Hinc ſcribit *Andreas Rauchbar. par. 1. qu. 17. n. 3. & 4. p. 122. 123. Mobilia quæ alibi repoſita ſunt, non ut ibi perpetuò manerent, ſed ut in priſtinum locum revocarentur, non ejus loci patrimonio, quò translata ſunt, ſed unde translata ſunt, ubi paterfamilias domicilium habet, annumerantur per l. 35. §. 3. ff. de hered. inſtit.* non enim locum vel territorium; ſed perſonam aut hereditatem, cui cohærent, reſpiciunt. *Gozadin. lib. 2. Conſ. 49. n. 14. fol. 78. VVeſenbec. lib. 1. Conſ. 1. n. 59. fol. 62. Gail. lib. 2. obſerv. 124. n. 16 p. 546.*

LIIX.

Neque hic quicquam faciunt, quæ à quibusdam moveri ſolent in contrariũ, ac ſi nomina dicantur de bonis illius territorij eſſe, ubi eorum exactio de jure & facto

 fieri-

fieri poſſit per *l. 100. ff. de Solut.* deinde ſtatuta extra territorium ſtatuentium vires non habeant. *Daniel Moller lib. 1. c. 29. pag. 68. Semeſtr. Modeſtin. Piſtor. Vol. 1. Conſ. 31. n. 47. fol. 452.* ideoque etiam Magiſtratus, ſub quo defunctus habitavit, jus detractionis ſibi aſſerere non poſſit. Ne nunc dicam, quod in ſucceſſione hereditaria, res quoque mobiles ex jure loci, in quo reperiuntur, veniant æſtimandæ. *Schurfius cent. 1. Conſ. 6. n. 1. fol. 13. Reuſner. lib. 2. Decis. 2. n. 13. 14. fol. 9. & decis. 3. n. 4. cum ſeqq. fol. 13. Modeſtin. Piſtor. Vol. 1. Conſil. 31. num. 53. fol. 453. 454.*

LIX.

Nam 1. Bona mobilia ſunt de territorio illius Magiſtratus, ubi reperiuntur, ſcilicet, ſi ali ubi translata ſunt, ut ibidem perpetuò maneant, aliàs extra hunc caſum ſequuntur jus univerſum. Atqui ita ſucceſſio bonorum capitur ſecundum jus domicilii, quod defunctus habuit, prout aliàs juris univerſitas in ſuccedendo cumprimis ratione Domicilii attenditur. Licèt itaque & nomina dici poſſint de bonis illius territorii eſſe ubi illorum exactio fieri queat; aliud tamen dicendum eſt, quando nomina non conſiderantur per ſe, ſed ratione acceſſorii, in quantum ſunt acceſſorium juris hereditarii. Eapropter in præſenti caſu conſideratur jus perſonæ univerſale, quod defunctus tempore mortis habuit, quô etiam nomina alibi exiſtentia comprehenduntur. Inde etiam res univerſæ hereditariæ, ſive jura ſive corpora ſint, in hereditatis petitionem veniunt *l. 18. §. 2. ff. de heredit. petit.* 2. Quod de Statutis affertur, illud intelligendum eſt de bonis immobilibus, quod exinde patet, quia bona mobilia ſequun-

quuntur conditionem perſonæ bona iſthæc poſſidentis, & ad locum defuncti ſimpliciter pertinent, ut ita falſum ſit, quod Magiſtratus loci, ubi vixit, & domicilium habuit defunctus, de bonis ipſius mobilibus alibi exiſtentibus conſuetam portionem detrahere nequeat. Ad. 3. Argumentum ab autoritate Doctorum deſumtum nonnunquam parum validum eſt ob eorum diſſenſum; qui etiam ſæpe loquuntur de uſu fori, in quo illi vixerunt. Interim illi Doctores de eo caſu, quo bona in alieno territorio exiſtentia defunctus non facilè eſſet revocaturus, potisſimùm loquuntur. Verior itaque hæc erit ſententia, quod Magiſtratus loci de bonis mobilibus, quæ defunctus alibi habuit, hanc Gabellam exigere posſit. *Andreas Rauchbar par. 1. Q. 17. n. 3. 4. 5. pag. 123. Berlich. par. 3. Concl. 52. n. 70. fol. 359. Scheffer. par. 2. q. 10. n. 22. Adde Cruſium c. 13. n. 15. & 16. pag. 218. de jure detract.*

LX.

Non inelegans eſt quæſtio: Quando extero aliquid in teſtamento legatū eſt, quisnam teneatur Gabellam detractionis ſolvere, heresne an Legatarius? Nonnulli hoc onus heredi incumbere ſtatuunt, quòd præſumtio ſit, voluiſſe teſtatorem legatum ſine onere tranſire ad legatarium, niſi ex verbis teſtamenti vel ex mente teſtatoris colligi queat, quod teſtator legatarium voluerit onerare. Verùm alii negant, quod heres obligatus ſit ad ſolvendam Gabellam; ſed illud onus incumbat legatario, utpote ad cujus commodum ſit legatum. *Cardinal. Tuſchus Tom. 4. lit. G. Concl. 6. n. 10. fol. 74. Practic. Concl.* Quo cum facit *Beſoldus in Theſaur. Pract. voce* Abſchoß. *fol. 11.* quando ita ait.

Cum hoc onus perſonæ non rei occaſione imponatur, magis eſt, ut heredem non tangat. Deinde certum eſt, quòd res tranſeat cum ſuo onere, per *l. 18. §. 2. ff. de pignorat. act. l. 3. C. de Servit. & aqua,* hinc etiam res legata cum onere detractionis tranſit ad legatarium, in tantum ut legatario recuſanti onus pro parte legati integrum legatum poſſit aufferri. Accedit, quòd teſtator præſumatur heredem in duriorem caſum, atque ita duplici onere eum gravare noluiſſe. *arg. eſt. l. 34. §. 5. & l. 67. §. 8. ff. de Leg. 2.* Ideoque non tenetur heres & legatum tradere legatario, & ſimul Gabellam ſolvere Magiſtratui. Sed ex adverſo, quia de re legata ſolus legatarius capit incrementum, & nihil exinde ad heredem pervenit, æquitati naturali conſentaneum eſt, ut incommoda rei legatæ ſequantur legatarium, heres verò de commodo nihil participans ſervetur immunis ab omnibus oneribus. Andreas Rauchbar *par. 1. q. 16. n. 11. p. 116.* Aliud tamen dicendum eſt, ſi teſtator voluerit heredem onerare, ut ipſe legatario ab omni onere liberum legatum traderet, eo ſiquidem caſu heredi incumbit iſtam Gabellam exſolvere. Vel ſi teſtator dicat, quod legatarius legatum habere debeat liberum & absque omni onere **frey und unbeſchwert:** tunc namque heres onus tributi exſolvere tenetur ſolus, & ita legatum ab omni detractionis onere liberum legatario præſtare obſtrictus eſt. *Swanman. c. 3. p. 23. p. 27. 28. de jure detract.*

LXI.

Num quid quoq; de Alimentis, Fidecommiſſis, quando ſcil. unus heres jam tum de illis Gabellam ſolvit, & eveniente caſu fidecommiſſi denuo iſtud tributi genus exſol-

exſolvendum poſcitur : item, num ab illis, quæ ſtudiorum gratia alicui relicta ſunt in teſtamento, nec non de legato remuneratorio, ut & de annuis legatis relictis, de donationibus mortis cauſa, de dotibus & veſtimentis feſtivis portio aliàs ordinaria detrahi poſſit, hac vice explicare ſuperſedebo, ne diſſertatio hæc mea fines ſuos excedat. Interim legi ea de re poterunt. *Everhard. Speckhan. Claſſ. 1. q. 14. n. 12. p. 63. Moller. ad Conſtit. Saxon. par. 3. Conſt. 38. 19. fol. 506. Berlich. p. 3. Concl. 52. n. 46. 47. 48. & ſeqq. fol. 356. 257. Schvvanman. c. 3. n. 6. & ſeqq. pag. 20. 21. & ſeqq. Comp. jur. Emigr. Johan Gutierez. in tract. de Gabellis. q. 72. n. 6. fol. 147. Cruſius c. 12. per tot. pag. 268. & ſeqq. de jure Detract. & Emigrat.*

LXII.

Supereſt, ut de MODO DETRAHENDI nonnulla pro ratione inſtituti adjiciam. Etenim fieri poteſt, ut is, qui bona hereditaria avocare vult, ſua ſponte ſolvat Gabellam, & ita nihil amplius reſtat, quàm ut Magiſtratus portionem illam recipiat, quod fieri poteſt dupliciter 1. *per realem ſolutionem*, ut quando is qui avocat hereditatem, vel legatum, conſuetam portionem de illis ſolvit. Optimus autem modus eſt, uti inquit *Jacobus de Arena de jure Compenſat. cap. 5. n. 16. p. 40.* ſi aliquis realem ſolutionem debiti præſtet, quia iſte modus eſt rectæ rationis principiis conveniens, quô reapſe debitor â debito liberatur. 2. *per compenſationem*; ſi fortean magiſtratus loci teſtatoris fuerit debitor, tum cum heredibus exteris, ſive quoad ſortem ipſam, ſive quo ad uſuras ratione ſummæ concurrentis poterit compenſare, & tantum, quantum is debet, de portione ordinaria remittere. Quæ compen-

ſatio

ſatio eſt legitimum minuendi vel tollendi debitum: quia intereſt noſtra potius non ſolvere quàm ſolutum repetere *l.3. ff. de Compenſat.*

LXIII.

Accedere poteſt. 3. *Remiſſio* iſtius Gabellæ de jure aliàs exigendæ. Et quidem dupliciter. 1. vel ſpontaneo motu, dum Magiſtratus loci heredi vel legatario illam partem, quæ aliàs debebat perſolvi, donat. Qua ratione is beneficium remiſſionis conſequi dicitur, uti *Jacobus de Arena c.6.n.28.pag.54.* non inſcitè loquitur, quandoquidem non poteſt non eſſe beneficium, ſi quis alteri remittat debitum. 2. *Vel ex aliqua cauſa*, veluti quod heredis parentes aut majores bene meriti ſint de iſta civitate vel univerſitate: aut quod teſtator ipſe multa impendit in ſalutem & conſervationem iſtius civitatis, ut, ita in vim remunerationis debita iſthæc detractionis portio remittatur,

LXIV.

Sed ut pace illorum hoc dixerim *remiſſio ſimplex* non eſt modus acquirendi, ſed perdendi. Nam qui remittit aliquid, ille utique donat: qui donat, is rebus ſuis non addit, quô facultates ſuas poterat augere, quin potius potius illas diminuit. Argumentor ita: *Quocunque actu aliquid donatur, per illum actum aliquid non acquiritur, quia hi duo actus ſunt inter ſe oppoſiti, quippe quod unus actus nempe donationis, excludit actum acquiſitionis. Sed actu remittendi Gabellam detractionis aliquid donatur.* E. Minor patet, quia remittere aliquid, quod poterat exigi, donationem ſapit. *Bartol. ad l. 4. pr. ff. de Pecul.* niſi fortean remiſſionem velis ita interpretari, ut ſit loco remunerationis, ea ratione non inducit meram

ram jacturam aut perditionem , ſed potius compenſationem beneficij, quod remunerari debuit.

LXV.

4. De retorſione quæritur : an ſit licitus modus exigendi portionem uſitatam jure detractionis ? Ponamus caſum. *Mævius habitat Nicopoli, ubi jus retorſionis non eſt in uſu. Ejus frater, hactenus civis in urbe Gambrivia inteſtatus moritur abſque deſcendentibus & aſcendentibus heredibus. Mævius tanquam heres ab inteſtato decedens petit fratris hereditatem ; ubi judex Gambrivianus decimam partem detrahit, & facta hac decimatione permittit ei hereditatem tranſportare Nicopolim. Poſtea accidit , ut civis quidem Gambrivianus hereditatem patrui ſui, qui deceſſit Nicopoli, itidem ex illo loco avocare velit , quæritur itaque: an civis iſte de hereditate patrui teneatur Magiſtratui Nicopolitano, ubi tamen jus detractionis non valet, Gabellam ſolvere jure retorſionis.*

LVVI.

Ratio dubitandi eſt. 1. Quod in Receſſibus Imperij ea tributa ſaltem approbentur, quæ ab antiquo recepta & uſu approbata fuerunt , uti ſupra ex numero vigeſimo apparet. Argumentor ita : *Quicunque actus non eſt conformis expreſſis ſanctionibus Imperij, ille eſt illicitus & non admittendus. Ratio eſt, quia quodcunq; lege non probante fit, non eſt licitum. Sed actus retorquendi in caſu detractionis non eſt conformis expreſſis ſanctionibus. E. Minor probatur ex adductis textibus Receſſuum, quòd iſtæ tantummodo detractiones valere debeant, quæ ab antiquo ſunt receptæ. Hinc viciſſim ita concludo : Quodcunque actus exercitium odioſum non ab antiquo eſt receptum, ſed de novo adhibitum, illud repugnat legibus de illo actu diſponentibus. Sed retorſionis exercitium odio-*

F *ſum*

ſum non ab antiquo eſt receptum ſed de novo ſaltem adhibitum. E. Minoris veritas patet, quia retorſio tum demum à Magiſtratu alicujus loci exerceri incipit, quando ab alio Magiſtratu erga prioris cives vel incolas aliquid iniqui in detrahendo committitur. 2. Retorſio realis eſt quædam ſpecies executionis in cauſa propria contra non auditum, imo ultio quædam, quæ jure non admittitur, quem in finem adducitur. *l. 13. C. de judæis & Cælic.* Argumentor ita: *Quicunq; actus infert vindictam in cauſa propria contra non auditum & defenſum, ille de jure non eſt admittendus. Sed actus retorſionis &c.* E. Minor probatur experientia. 3. Quid hoc ad civem privatum, qui in civitate quadam hereditatem non niſi ſub onere detractionis conſequitur, an iſtius civis Magiſtratus velit jure detractionis uti?

LXVII.

Verùm Deciſio eſt, quòd ejusmodi retorſio licitè poſſit exerceri, *per l. 1. ff. quod quisq; juris.* Nullus enim Magiſtratus ſtatuere vel exigere contra alterius civitatis incolas debet, quod non viciſſim velit pati, ut contra ſuos cives exerceatur. Inde Edicti Prætorij. Quod quisque juris in alterum &c. duo ſunt conſideranda. 1. *Æquitas*, dum quod quis erga alios juſtum eſſe putat, idem & erga ſe ſuosque admittere debet. 2. *Talionis jus*, ut ſcilicet quis patiatur aliquid adverſus ſe & ſuos fieri, quod alteri fecerit. *Ariſtot l. 5. c. 4. Ethic.* Ubi requiritur. 1. *Jus novum* quod in legibus receptis non eſt fundatum, atque ita aliquam iniquitatem in ſe continet. 2. *ut jus illud novum ſaltem vel ſemel ſit uſurpatum in iſta provincia*; ita ut in ſpecie habuerit effectum contra illum, qui vult retorquere. Carpzov. *par. 3. Conſt. 38. def. 8. n. 2. 3. 4. fol. 1269. I. F.* quod certè rationem habet. 3.

ut

ut jus novum probetur. Nam quia jus novum, contra quod retorſio adhiberi debet, quandam in ſe continet iniquitatem, tum non præſumitur, ſed probari debet, illud fuiſſe uſurpatum vel exercitum. 4. Ut ſit uſurpatum contra aliquem, qui revera iſtius civitatis aut Provinciæ eſt ſubditus, non autem forenſis. Unde nihil clarius eſt, quàm retorſionem principaliter invenire locum contra illos qui ſtatuunt jus novum, illudque etiam revera exercent.

LXIIX.

Ratio decidendi eſt. 1. Quia retorſio in ſenſu jam tum expoſito eſt *ſpecies defenſionis*, quæ Magiſtratibus pro defenſione ſubditorum & æqualis juſtitiæ adminiſtratione permiſſa eſt. *Mævius par. 2. decis. 59. n. 3. fol. 150.* Deinde & 2. æquum eſt, ut quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ipſe eodem jure utatur. *l. 1. ff. quod quisque juris l. 44. ff. de Pact.* Hæc ſiquidem regula eſt in jure naturali fundata. Unde ita argumentor: *Quodcunque jus principiis juris naturalis & ita rectæ rationi conveniens eſt, illud nititur æquitate naturali.* quæ major ex ſuis terminis radiat. *Sed jus retorſionis in præſenti negotio principiis juris naturalis &c.* Ergo. Minoris veritas ex ante dictis oſtenſa eſt. Certè cum ex civitate aliqua v. gr. hujus ditionis, hereditates, legata, aut ea, quæ mortis cauſa donata ſunt, in exteras civitates exportari ac perferri Magiſtratus permittant; contra verò exteri Magiſtratus id viciſſim fieri non patiantur, quis eſt qui non videat magnam hic exiſtere inæqualitatem. Hinc. 3. Argumentor: *Quo jure id, quod inæquale eſt, reduci poteſt ad æqualitatem, illud eſt juſtum & æquum. Sed jure retorſionis, quod inæquale eſt reduci poteſt ad æqualitatem*, uti ex dictis probatum eſt. Ergo.

Adde Jacobum Thomingium Decis. 26. n. 3. 4. 5. 6. 7. p. 165. Et ne hic operoſus ſim in defendenda hac ſententia, oppono. 4. contradicentibus hoc argumentum: *Quicunque adverſus alios exercet jus novum, & actum odioſum, ille ipſum erga ſe & ſuos viciſſim admittere tenetur.* Ratio conſequentiæ eſt; nam quod aliquis ſibi & ſuis fieri non vult, illud alijs facere non debet: *Sed Magiſtratus detrahendo portionem hereditatis relicta extero heredi, & quidem illi, in cujus civitate jus detractionis non eſt in uſu, exercet jus novum & actum odioſum. E. Iſte* Magiſtratus *iſtum erga ſe & ſuos viciſſim admittere tenetur.* Plura legi poſſunt apud *Jacob. Thoming. Decis. 26. per tot. pag. 264. Matth. ab Afflictis Decis. 66. fol. 98. Berlich. par. 3. Concl. 51. n. 6. & 7. fol. 347. Carpzov. par. 3. Conſtit. 38. def. 1. fol. 1206. I. For.* & ibid. *Goſvvin. ab Esbach. p. 415. & ſeqq.* non attentis illis quæ *Virgilius Pingitz. qu. 33. p. 410. & ſeqq.* ut & *Hartman Piſtorius obſerv. 33. p. 45. & ſeqq.* in contrarium diſputare, & imprimis autem Thomingo opponere voluerunt.

LXIX.

Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem ad 1. Quod nulla ſit conſequentia, confirmatum eſt jus detractionis per Receſſus Imperij, prout in quolibet loco ab antiquo eſt receptum & obſervatum, Ergo jus retorſionis in æquitate naturali fundatum, tanquam defenſionis ſpecies, ijsdem ſanctionibus repugnat. Inde ad majorem prioris Syllogiſmi reſpondetur limitando: *Quicunque actus non eſt ſimpliciter, aut ulla ratione conformis expreſſis ſanctionibus Imperij, ſed potius illis repugnat, ille eſt illicitus.* Quo ſenſu negatur minor: Neque ex ingenti Receſſuum corpore vel ullus adduci poterit textus, qui jus retorſionis hoc modo expoſitum vetet vel im-

pro-

probet, aut illi difforme eſſe ſtatuat. Neque obſtat, quod opponant prohibitionem repreſſaliarum. *Receſſ. Deputat. de Anno 1564.* §. Dann erſtlich *& ſeqq. fol. 611. & 612. Receſſ. Imperij* zu Speyer *de Anno 1570.* §. Wann auch die *arreſta. fol. 668. Et in Receſſu Imperij* zu Regenſpurg *de Anno 1641.* §. Nachdem auch die Stände *fol. 928. Inſtrumentum Pacis VVeſtphalicæ Artic. 8.* §. *Tam in univerſalibus fol. 22. & Art. 9.* §. *& quia publice intereſt, fol. 23. Item art. 16.* §. *Nec ullus Status. fol. 33.* Nam hæ longius abeunt à natura retorſionis de qua hic nobis eſt ſermo. Ne nunc dicam quòd illi textus potiſſimùm intelligendi ſint de repreſſalijs facti, abſque ulla juſta cauſa conceſſis, nec requiſitis omnibus adhibitis. *Vid. Receſſ. Imperij* zu Regenſpurg *de Anno 1594.* §. Und ſo viel die ungleiche Meinung *fol. 805.*

LXX.

Ex ſolutione prioris argumenti prono alveo fluit reſolutio Syllogiſmi poſterioris. Etenim major eſt limitanda, ſcilicet: Quodcunq; actus Exercitium odioſum *regulariter* & expreſſis verbis non eſt receptum, ſed de novo, *ubi nimirum novum jus exercetur*, adhibitum, illud repugnat legibus, qua ſtante limitatione major eſt falſa. Unde facilè de minoris veritate conſtabit.

LXXI.

Ad. 2. Falſum eſt, quòd jus detractionis inferat vindictam in propria cauſa; cum potius ſit jus defenſionis pro conſervanda ſuorum civium libertate, ne ipſi aliorum odio & iniquitate graventur; dum ab ipſis alibi locorum, ubi hereditatem vel legata ſunt percepturi, portio detractionis exigitur: qui tamen, ſi ex hoc loco, ubi jus detractionis non eſt in uſu, hereditatem aut legatum petere volunt ab i-

ſto onere cupiunt eſſe immunes. Et hoc ſuppoſito negatur. Minor in Syllogismo. Lex. 13. C. de Iudæis & Cœlicol. ſine judicio eſt allegata, quod ex comparatione legis citatæ & noſtræ aſſertionis facile apparebit.

LXXII.

Ad 3. Licet privatus, qui coactus ſolvere portionem detractionis, exinde, quod â Magiſtratu loci contra alium jure Retorſionis de hereditate alibi transferenda itidem decerpatur certa portio, nihil utilitatis percipiat; tamen Magiſtratus eſt videre, ne novum jus contra ſuos cives exerceatur, & ſi hoc fiat, pari ratione iſto jure contra alterius Magiſtratus cives aut ſubditos utatur.

LXXXIII.

Tandem arreſto bona avehenda detineri poterunt, ſi heres aut legatarius Gabellam detractionis ſolvere recuſet, quoniam Magiſtratus jus reale in iſtis bonis conſequitur, ob jus, quod ipſi in detrahenda certa portione competit.

LXXXIV.

Plura quidem addi poterant: Sed quia ſuppelleċtile librorum hoc in loco inſtructus haud ſum, nec temporis ratio & chartæ anguſtia patitur hoc diffuſum aliàs argumentum latius explicare; ideo filum diſſertationis cogor abrumpere, hâc ſpe fretus, fore ut ſi Deus vitam & otium conceſſerit, aliquando peractis ſolemnibus, hanc materiam copioſius elaborare, eamque ad juſtum quendam tractatum reducere queam. Interim.

SOLI DEO SIT GLORIA.

Sonnet.

WEr durch Geſchickligkeit jhm will ein Ehren-Zeichen
Der Nach-welt richten auff / woran noch Momus mag
Noch auch des ſtärckſte Roſt außüben ſeine Rach/
Kan ſein geſtecktes Ziel nicht richtiger erreichen
Alß Er Herr Theſingh thuet. Nichts iſt dem zu vergleichen
Wan er aus unſerm Recht / gleich einem klaren Bach/
So künſtlich leitet ab des Abzugs Ungemach/
Daß Jhm auch Dædals Werck an Zierligkeit muß weichen.
Wie dis iſt ſeiner Kunſt ein rechtes Meiſter-Stück/
Alſo iſt meine Schuld Jhm zuzuruffen Glück/
Und alles Wollergehen. Wirdt Er nun gleich Abziehen/
Und wenden ſeinen Fueß zu der die Jhn verlangt
Auch bey der Uberkunfft mit einem Kuß entpfangt/
Soll ſein Gedächtniß doch mir aus dem Sinn nicht fliehen.

Mit dieſem wenigen hatte den Herrn Candidatum, alß ſeinen ſehr wehrten Freund und Gönner beehren ſollen.

Siegfriedt Henning Oldekop.
aus Hildesheimb.

DVm ſolers, habeat quantum *Detractio Iuris*
Docta, *Theſingi*, fertilitate doces;
Mox Tibi cœleſtis terras Aſtræa reviſens
Purpureum veniet condecorare caput.

Iuno

Iuno Tibi; Tibi blanda Venus ſua munera ſpondent
Iſta tamen certâ conditione dabunt.
Poſſe putant, & velle putant, Te parte virili
Hanc explere ſatis; Munera quippe placent!
At Tua narratur quorſum *Detractio?* Sponſæ
Si quid *Detrahitur* jurene *Detrahitur?*
Non æque, dices, *Detractio* noſtra recepta
Omnibus eſt, nec idem juris ubique viget.
Hinc illæ lacrimæ! Sic obliviſcere juris
Vt modo Junonis munera grata feras,
Credo, locum juri non iri fortè relictum
Te Sponſæ jungi cum dabit alma Venus.

Clariſſ. & Conſultiſſimo Dn. Candidato, nuper Præſidi & Fautori ſuo colendo hos addit.

IOH. LVDOLPH Kopman.

T*HESINGI ſatis eſt ſudatum; meta laborum*
Optatusq; diu jam prope finis adeſt.
Tu ſatis inſomnes multas in Palladis ara
Duxiſti noctes; ultimus eſto labor,
Quem de detractus *fundunt tua pectora* jure
A ſeriis mentem detrahat ille tuam
Præmia ſudoris tanti te certa manebunt:
Patria nam Venerem: Iulia ſerta parat.

Ita Clariſſimo & Nobiliſſimo Dn. Candidato, Fautori atque Amico ſuo longè honoratiſſimo gratulari, & animum ad quævis officia paratiſſimum comprobare voluit

E. W. Rüſſel.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

)o(